

A quibus positis, contingit vrinarum colores mutari; & aliæ quæ dicuntur esse causæ, non alia ratione causæ sunt, quam quod aliquid conferunt ad generationem, præsentiam, vel priuationem, & absentiam illius causæ, quia enim forte eadem causa est in senibus quæ in ijs est, qui plurimum vigilarunt, aut plurimo cibo ac potu sese ingurgitarunt, ideo decolores & aquosæ in illis sunt omnibus vrinæ. Iam vero inter illos, qui immediatam & proximam hanc causam conati sunt inuenire. Montanus putat colores omnes vrinarum fieri à sola præsentia vel absentia humorum, nullum autem posse fieri a sola alteratione. cuius opinionem ita refello. Primum, quod color qui est in contentis, non fiat alia ratione, quam per contactum & alterationem partium, quomodo etiam sanguis ruber in abscessibus fit pus album. Quod si auctoritate certare vellem, scribit Galenus in libro primo de Crisibus, & alibi passim, vrinæ liuidas nigras fieri aliquando ob mixtionem nigri humoris, aliquando ob solam caliditatem, nonnunquam vero ob solam frigiditatem. Sed quia mihi persuadere non possum, tales vrinæ fieri vnquam ob solam caliditatem aut frigiditatem, vt postea ostendam, ideo cum eo aliorum auctoritate pugnare nolo. Sed præter illa quæ de contentis diximus, quid potest potionem mutare rubram in albam, & illud excrementum aquosum, quod vrinæ liquorem esse diximus, gignere suis qualitatibus præditum, præterquam ventriculi actio & concoctio; qui quidem ventriculus natus & aptus est, vt aliæ partes quæ albæ sunt, mutare ea quæ tangit & concoquit in sibi similem colorem. Ergo colores quidam in vrina, & in ijs quæ in vrina continentur, ex sola alteratione. Sed de alijs postea. Nunc vero de causis colorum ipsius liquoris agamus; & primum de albo, tâquam de primo extremo, a cuius recessu versus alterum extremum, nempe nigrum, alij omnes emanant.

De albis Vrinis & earum causis. Cap. VIII.

C **N** T E R albos colores primus occurrit aqueus, qui re vera color non est, sicut nec aqua colorem aliquem habet, vt scribit Aristoteles, Elementa non esse colorata; sed aqua & aer quia plurimum in se luminis recipiunt & diaphana sunt, ideo albedinis speciem præferunt. Huiusmodi color vrinæ aqueæ fit a sola alteratione ventriculi. Eandem habent causam crystallina & niuea. Aliæ vero omnes mixtione alicuius materiæ suam recipiunt colorem. Quæ vero ita sunt aquosæ, tales minguntur quales sunt genitæ, si humor qui eas solet tingere in bene aut male valentibus, cum vrina non misceatur. Solet autem misceri portio bilis; vrinæ subpallidæ, pallidæ, flauæ, aut alterius coloris redduntur. Non miscetur autem talis bilis, vel quia non gignatur ob copiam materiæ, vel ob frigidiores qualitates, vel ob caloris natiui & naturæ imbecillitatem, aut quia nondum concoctio perfectionem est assequuta, propterea recenter absumpto cibo & nondum concocto, vrinæ aquosæ redduntur. Sic in quartana febre & in pituitosis morbis, & in frigidis temperaturis, atque in frigidis, in mulieribus, in vigilia postquam multum processit, & in alijs corporis conditionibus frigidis, vrinæ decolores minguntur, quia minimum bilis gignitur, quod cum vrina possit misceri. vbi vero fertur ad alia loca idem humor, definitque misceri cum vrina, vrinæ quæ prius tinctæ erant, aquosæ euadunt; unde ex huiusmodi vrinis solemus in febribus ardentibus deliriū prædicere. Contingit etiam non misceri alios humores cum vrina, eo quod uia sit illis occlusa, per quam urina, quæ tenuis est, ferri potest & solet. Quo modo cum incipit calculus uigere in renibus, vrinæ tenues & aquosæ minguntur, quod scilicet tunc adeo sint renes, & meatus urinarij occlusi, ut uix aquoso & tenui humori uia pateat. Fiunt ergo tres primæ species albæ vrinæ; nempe aquea, niuea, & crystallina, per solam alterationem ventriculi. Glauca uero, charopa, & lactea, cum habeant colorem quendam, quem non potest tunica ipsius ventriculi inducere in potionem & aqueæ materia, fiunt omnino ex mixtione alicuius humoris. Id quod etiam ostendit, quia istæ vrinæ maiorem quandam habeant crassitudinem, quam tres prædictæ. Est autem humor qui miscetur non alius, meo iudicio, quam bilis pallida & crassa, in pauca quantitate; id quod externarum rerum mixtio ostendit. Nam si exiguam portionem pallidi aut flauis misceas cum aqua multa; glaucum, charopum, & fer lactis reddes colorem; Pituita autem non potest esse, quæ talem colorem efficiat. nam ut ipsa pituita cum tenuitate habet & crassior res est, nec colorem aliquem habet, qui spargi possit per liquorem; ita hos, de quibus agimus, colores qui cum tenuitate sunt commisti nequit facere. Quod si alba sit & crassa, posset forte fieri à multo pure mixto cum vrina: a pituita uero sola crassities fieri potest, sed albedo nequaquam, in substantia ipsius liquoris. quippe cum uideamus in nothis tertianis vrinæ crassas, quod pituitæ est indicium, & tamen rubras uel flauas, quoniam talis color ex bile fit, quæ cum liquore spargitur. Pituita autem innatat & contentum facit. Pus uero cum sit friabile, albedinem quoque potest facere: sed cum sit crassum, paulo postea subsidet, & colorem proprium relinquit, qualem recipit urina ex humore, qui natus est aptus illius liquoris tingere. Propterea Montanus euidenter errat, qui glaucum colorem quem similem esse dicit eorum albo & nostro, & charopum, id est cæruleum, clarum & oleaginosum in urina, & liuidum etiam ait fieri a frigiditate maiore aut minore. Nam frigiditas sola, nequit facere in nostro corpore colorem aliquem: sed solum potest ostendere, non fieri generationem

nem